



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Cur dicatur draco traxisse cauda tertiam partem stellarum? Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Sectio XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

dictum fuerat, idcirco mortem appellari stipendium peccati, quam videlicet retribuit sibi seruientibus. Aduertendū est autem pro stipendijs esse Græcè ὀψωνία: olim enim solis obsonijs contenti erant milites: quare eleganter Paulus mortem peccati obsonium appellauit: siquidem homines leuissimis de caulis, & propter obsonium quoddam, victumque voluptatis abiectionissimum peccata suscipiunt, mortemque animi, & corporis, imo & secundam mortem apud inferos incurrunt. Itaque cum obsonium dari soleat ad vitam sustentandam, peccatum pro obsonio dat mortem ipsam, & interitum sempiternum.

Postremò, quod spectat ad decem cornua, decem machinas significant, quibus dæmon decem decalogi præcepta expugnat, & quasi taurus ventilat: ad singula enim præcepta aggredienda peculiaria tentamenta adhibet. Idem figuratè fuit expressum in decem millis armigeris Ioab, qui Absalonem interfecerunt pendentem è quercu, vt refertur 2. Reg. 18. Tulit Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon: & inquit; adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & cõportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Absalon peccator è significat, qui per capillos, id est, cogitationes suas ex quereu terrenarum rerum suspèditur: tribus læcis cor eius à Ioab confoditur, id est, à dæmone triplici peccato cogitationis, oris, & operis interimitur: deinde accurrunt decem armigeri Ioab, id est, decem dæmonis impugnationes aduersus omnia præcepta decalogi: quod uis enim peccatum lethale ad omnia decalogi præcepta violanda viam munit: quas transgressiones palpitantem adhuc peccatorem tandem in inferni foueam coniciunt, super quem magnus tormentorum cumulus, & acruus aggregatur.

VIII.
Diabolus cõtra singula præcepta peculiaria adhibet tentamenta.
2. Reg. 18. 14.
Absalon peccator è aduibras.

Cur dicatur draco traxisse cauda tertiam partem stellarum?

Et cauda eius traheret tertiam partem stellarum celi, & misit eas in terram.

SECTIO XI.

EXijs, quæ hæcenus dicta sunt, perspicuum est hanc stellarum de celo ruinam ad extrema mundi tempora pertinere, atque ad eò non esse sermonem ad literam de casu Angelorum, sed de subuersione fidelium in fine mundi. Itaque tertia pars stellarum magna est pars fidelium, non quorumlibet, sed iustorum, qui in persecutione Antichristi de Ecclesiæ celo ruent in terram, hoc est, partim deserta fide, partim neglecta iustitia sese temporalium rerum cupiditate, quas ipsis largiter offeret Antichristus, funesto casu implicabunt.

Quare si hunc draconem, de quo est sermo, Antichristum accipiamus, cauda est extremum mundi tempus: si autè dæmonem, quod ferè volunt interpretes, cauda est ipsemet Antichristus, qui cauda draconis, hoc est, dæmonis dicitur, quod extremo mundi tempore sit ad subuersionem fidelium à dæmone assumendus, vt maxime præcipuum fraudis, & deceptionis instrumentum, quam expositionem sequutus est D. Greg. li. 32. Mor. c. 14. vbi sic hunc ipsum locum interpretatur, Cælum, inquit, est Ecclesia quæ in h. nocte vitæ presentis dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, quasi radiantibus desuper sideribus fulget: sed draconis cauda in terram stellarum degit, quia illa satana extemit, ut per audacia assumpti hominis erecta (Antichristum intelligit) quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia inueniet, obtinenda reprobos ostendet. Stellas itaque de celo in terram cadere est nonnullos relicta spe celestium illo duce ad ambitum gloriæ secularis inhiare. Id eandem sententiam affert illud Daniel. 8. quod de Antichristo sub nomine Antiochi dicitur: Deiecit de fortitudine, & de stellis; & conculcauit eas, & usque ad Principem fortitudinis magnificatus est, & ab eis abstulit iuge sacrificium; & deiecit locum sanctificationis eius;

II.
Antichristus dæmonis cauda.
D. Gregor.
Etelium caustempore Antichristi Dan. 8. 10.

Iob 40. 12.
Antichristus
qua potentia
deseruet in
Christianos.
D. Gregorius

Vbi est obseruandum, quanta potentia Antichristus deseruet in fideles, siquidem stellas conculcare dicitur. Eodē modo interpretatur Greg. verba illa Iob 40. quae dicuntur de behemoth id est, elephāto: *Stringit caudam suam quasi cedrū*, hoc est, fortē, & rectam instar cedri caudā mouet. Quoniā verō per behemoth spirituali- ter dē mō accipitur: sic locū interpretatur D. Greg. de Antichristo, Quid, inquit, cauda behemoth, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur: cum nimirum ingre- dietur Antichristū tanquam vas sibi proprium: qui quoniam modo honoribus se- culi, modo signis & prodigiis fictae sanctitatis in tumore potentiae eleuari permit- titur: rectē cauda illius cedro cōparatur. Sicut enim cedrus arbusta cetera in al- tum crescendo superat: ita tunc Antichristus mundi gloriā temporaliter obti- nens mensuras hominum & honoris culmine, & signorum potestate trāscendet.

III.
Gen. 49. 17.

D. Greg.
Iob 39. 11.
Antichristus
designatus in
Dan. ab eo
que originem
ducat.
Esai. 14. 13.
Item de co-
luber & ce-
raastes.

Idē, quod hic significauit Ioan. per draconis caudā, expressum fuit à Iacob Gen. 49. cum dixit. *Fiat Dan coluber in via, ceraastes in semita, mordens vngulas equi, ut cadat ascen- sor eius retrō*. Etenim sicut per caudā extrema mundi tēpora Ioan. designauit: ita etiā Iacob per vngulas equi vltimā mundi aetate sub Antichristo expressit. In quē locū D. Gre. li. 31. Mor. c. 10. ad illa verba c. 39. vbi est sermo de struthione: *In alrum alas erigit, doridat equis, & ascensor eius, aduertit primō per Dan eo loco Antichristū de- signari, eo quod ex tribu Dan originē duceat*. Vnde dum Israeliticus populus ter- ras in castrorū partitione susciperet, Dan ad Aquilonem castrametatus fuisse dicitur, vt videlicet exprimeret, quae in corde suo dixerat Esai. 14. *Sedebō in monte testamē- ti, in lateribus Aquilonis*. Secundo obseruat Antichristū non solū colubrū, sed etiam cerastem vocari, hoc est, serpentē cornutū: quia nimirum contra fidelū vitam ar- matum cornibus potestatis. Tertio ponderat non solū in via, sed etiam in semita in- fidias tendere: quia non solum insidiatur mundanis, qui per viam latam, & spatio- sam gradiuntur, sed etiam Sanctis, qui per arctam, & angustam semitam, incedūt: Quis, inquit, nesciat semitam angustiorem esse, quā viam: sit ergo Dan coluber in via: quia in praesentis vitae latitudine eos ambulare pronocat quibus quasi parcendo blanditur. Sed in via mordet, quia eos, quibus libertatem tribuit erroris sui veneno consumit. Fit ceraastes in semita: quia quos fideles reperit, & sese ad precepti caelestis angustia itinera constringentes, non solum ne- quitia callida persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit. Quarto expendit nomine equi hunc mundū significari, qui merū equus dicitur: quia per elatio- nem suam in cursum labentium temporum spumat. Quinto notat hunc colubrū, siue cerastem vngulas equi mordere, hoc est, extrema mundi tēpora feriendo cō- tingere, id quod, vt diximus, significauit Ioan. cū dixit draconē trahere cauda ter- tiā partem stellarū. Postremō docet id conari Antichristū, vt cadat ascensor equi retrō: *Ascensor equi, inquit, est quisquis extollitur in dignitatibus mundi: qui retrō cadere dicitur, & non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur Act. 9. Cadere enim in facie est suū*

Act. 9.

Quid sit ca-

dere in facie

& retrō ca-

dere, ex Greg

III.

Pannos.

A vitio vir-

tus quantum

distet

2. Cor. 6. 14.

Hugo Card.

Peccatum est

veluti violē-

tia natura-

rationalis. fa-

cta.

quod cadat, nimirum ex hac vita repente decedere, & ad quā supplicia ducatur, ignorare. Porro aduertit Pan. in hunc locum magnam esse eorum ruinam, qui virtute ab- iecta temporalium rerū amori seruiunt, siquidē è caelo in terram dicuntur cadere, quae magna est distantia. Vnde vlteriùs colligitur magnam esse distantia inter pro- bos viros, & nefarios, virtutēque, ac vitium: siquidē confertur cum ea distantia, quae inter caelū, & terram interiacet: quam etiā distantia, significauit Apostolus in- tercedere inter fidēlem, & infidelē, cū dixit: *Ne olere iugū ducere cum infidelibus: quia enim participatio iustitia cū iniquitate: quasi dicat: Nullam omnino proportionē inter se habēt*. Deinde Hug. Card. obseruauit verbū illud traheret, quod quandam violē- tiam innuit: est enim trahēdo iuxta Philosophū species quaedā modus violētī: vnde colligit

colligit peccatum esse veluti quamdā violentiam, quæ sit naturæ rationali, eo quod naturale sit homini secundum rationem vivere: quam ob causam D. Tho. 1. p. q. 63. art. 1. docet virtutē esse homini naturalem secundū quādam inchoationē, quatenus in voluntate inest quidā naturalis appetitus boni, quod est secundū rationem.

Vtrum præcisè tertia pars Angelorum ceciderit?

SECTIO XII.

ET hoc loco non sit sermo ad literam de casu Angelorum, sed de subuersione fidelium extremis temporibus mundi, qui ob causas suo loco commemoratas stellæ dicuntur: quia tamē Doctores Scholastici cōmuniter hanc stellarum ruinā de Angelis interpretantur, id quæ voluit significari à Ioan. cum ait draconem traxisse cauda tertiā partē stellarum de cælo, misisseque in terram, draconis nomine Luciferum accipientes: id nunc eorum gratia excutiendum est, num verè tertia pars Angelorum è cælo ceciderit, quemadmodum videtur significari à Ioanne.

Quæstio hæc multa complectitur. Primū enim explicandū est, vtrū tot præcisè homines assumendi sint in gloriam, quot Angeli ceciderūt: Et quidē fuerūt plerique, vt refert D. Th. 1. p. q. 23. art. 7. qui existimarūt tot præcisè ex hominibus esse prædestinatos, quot ex Angelis corruerūt: cuius sententiæ videtur fuisse D. Bern. serm. 68. in Cant. & auctor li. de dilig. Deo c. 3. potētq; confirmari ex verbis illis Pl. 109. *Audicabit in nationib. implebit ruinas*: quib⁹ videtur indicari illos tantū homines esse prædestinatos qui ruinas Angelorū supplere possint. Alij volūt plures esse prædestinatos ex hominibus, quā sint reprobatī ex Angelis: sic enim existimauit D. Ansel. li. 1. *Cur Deus homo*, cap. 18. ad quam sententiam accedit D. Aug. in enchir. c. 29. & li. 21. de ciu. c. 1. Alij denique putarunt tot esse homines prædestinatos, quot Angeli remanserūt: quod disertis verbis affirmat D. Gregor. hom. 34. in Euangelia. *suprema*, inquit, *illa ciuitas ex Angelis, & hominibus constat: ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse*. Verūm hæc in re nihil certū definiti potest, meliusque est cum D. Thom. loco citato, & ipsa etiam Ecclesia confiteri soli Deo cognitum esse numerum electorum.

Hinc rursus alia neçtitur dubitatio, an Angeli sint in maiori numero, quā vniversi homines, qui sunt, fuerunt, & erunt? & quidem ex iis, quæ paulò ante dicta sunt, videtur cōfici multò plures esse homines vniversos, quā omnes Angelos, si verum est tertiam partem Angelorū eecidisse. Nam si tot homines vt nimirum sunt prædestinati, quot Angeli corruerant, cum tertia pars Angelorum ceciderit: ex hominibus autem, non dico tertia, sed nec decima quidem pars saluetur computatis omnibus infidelibus: perspicuum sit multò maiorem esse numerum vniversorum hominum, quā vniversorum Angelorum: siquidem tertia pars Angelorum, iuxta hanc sententiam multò minor est, quā tertia pars hominum, cum tertia pars Angelorum, quæ cecidit, suppleatur non ex tertia, imò nec ex decima parte hominum. Dicendam tamen videtur multò maiorem esse numerum Angelorum quamquam Lud. Mol. in comm. 1. part. q. 50. art. 3. disp. 2. nihil hac in re audeat statuere, & argumenta vtriusque partis dissoluat.

Verūm Angelos in maiori esse numero, quā homines, qui sunt, fuerunt, & erūt præterquā quod ipsa Angelorū præstantia videtur postulare, non obscure significari videtur locis illis sacre scripture, quæ de Angelorum multitudine dixerūt, veluti Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei: & decies centena millia assistebant ei*. Iob Mat. 26. 53. *Nunquid est numerus militū eius?* Mat. 26. *Exhibebit mibi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*: & Apoc. 5. *Audiui vocem Angelorum multorum: & erat numerus eorum nullus millium*: quibus in locis ponitur numerus certus pro incerto: & procul-

I.

II.

Sunt tot homines saluandi, quot Angeli ceciderunt.
D. Thom.
D. Bern.
Auctor li. de dilig. Deo.
Psal. 109. 6.
Plures esse prædestinatos qui affirmēs.
D. Anselm.
D. August.
Tot esse, quot Angeli remanserunt, assertit.
D. Gregor.

III.

Sunt Angeli in maiori numero, quā vniversi homines.

IV.

Plures esse statuitur.
Dan. 7. 10.
Iob 25. 3.
Mat. 26. 53.
Apocal. 5. 41.